



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nucleus Practici Tractatus, De Legibus

Marchius, Ewald

Coloniæ Agrippinæ, 1660 [erschienen] 1661

§. XII. Vt lite pendente nihil innovetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42256

Judici, etiam Episcopo, asserenti, aliquem criminofum esse, sed oportet, quod manifeste constet. Tertio, quod privetur in Judicio, seu Juris ordine servato.

§. XII.

Vt Lite pendente, nihil innovetur.

Est regula generalis, quod *Lite pendente, nihil sit innovandum*, quo vel Actoris, vel Rei persona, vel eorum conditio, aut Litis pendentis qualitas statusve, aliquo modo immutetur, in præjudicium alterutrius: adeo ut Lite pendente, ne quidem Principi, vel summo Pontifici supplicare liceat, sed rescripta Lite pendente impetrata, non facientia Litis pendentis mentionem, tanquam subreptitia, viribus destituantur, quia præsumitur Princeps aut summus Pontifex non fuisse concessurus, si intellexisset, Litem super eâ rependere. Hinc etiam Actionum & rerum litigiosarum alienatio, pendente Lite quovis titulo facta, est prohibita, & ipso Jure irrita Inmo is qui recepit, non tantum cogitur eam rem confestim Alienanti reddere, sed etiam pretium amittit, ac tantumdem Fisco præstat, si sciens rem litigiosam emerit, seu per aliam speciem contractus receperit si ignarus, pretium ejusdem, vel veram estimationem, ubi pretij datio non fuit, una

cum aliâ tertia parte ejusdem, ab alienante recuperabit. Et, si res, pendente Lite alienata, recuperari non possit, debet is, qui alienavit, aliam æquivalentem, in ejus locum surrogare.

Lis autem pendere dicitur non tantum, quando est contestata. sed simulatque Reus ab Actore in Litem vocatus est, addita & clare expressa causa, ob quam vocatur: Litigiosa vero res dicitur, de cuius Dominio, causa movetur inter Possessorem & Petitorem judiciaria conventionem. Et ideo controversia super Possessione, non facit rem litigiosam. Accusatus igitur de Adulterio, ob quod agitur ad divortium, id est, ad separationem thori, non debet pendente Lite, ab uxore separari, seu privari possessione conjugali, quia Litis pendentia, non suspendit exercitium Matrimonij.

Similiter, si ex duobus Litigantibus, super Electione, de se in discordia facta, alter decedat, vel renuntiet, vel à prosecutione causæ excludatur, Ad novam Electionem, ante Litem super Electione alterius finitam, procedi non potest. Pari modo, altero ex Litigantibus super Beneficio Ecclesiastico cedente, vel decedente, non potest ante finitam Litem, cum Superfite, Beneficium alteri conferri, vel ad illud alius eligi, aut præsentari. Iratumque

igso Jure habetur, si quid secus factum fuerit

§. XIII.

De Probationibus.

Non semper Reus admittit positionem Actoris, tanquam veras sed ad quasdam respondet Negative, & per verbum. Non credo, ideoque has Actor probare debet, alias enim Actore non probante Reus absolvitur.

Probare hic idem significat, quod Judicem fidem facere, de facto aliquo dubio, de quo in Judicio est controversia. *Et probatio non est aliud, quam iudici rei dubia apud eum controversa, per legitimos modos facta ostensio.* Dico iudici, quia Probatio fit, non ad instruendum Adversarium, sed ipsum Judicem.

Dixi, de facto aliquo; quia, quæ sunt Juris probari non debent, quando quidem Judicio nota sint, vel esse debeant, & secundum Leges, ex quibus causæ decisio pendet, judicari eum oporteat, licet eæ à Litigatoribus non allegentur; nisi Jus ipsum negetur. At vero eæ quæ sunt facti, Judicibus sunt ignota, nisi illi probentur.

Addidi rei dubiæ quia notoria non indigent probatione, & notorium non probatur sed potius allegari debet.

Probatio secundum Jurisconsultos, dividitur in Plenam & Semiplenam, *Plena dicitur*